

ELENCHUS II

Decretalium correctarum a Sacro Concilio Tridentino partim abrogatione, partim derogatione, partim moderatione, servato ordine titularum ac capitulorum in unoquoque libro.

LIBER PRIMUS.

TIT. II.—DE CONSTITUT.

1. Decretalis Innoc. III. relata in cap. *Cum omnes* 6. admittentis valere consuetudinem non residendi et percipiendi fructus in absentia, abrogata est sess. 24. cap. 12 de refor. §. *Præterea*, statuente sub certis penis, ne obtinentibus in cathedralibus et collegiatis Ecclesiis, etiam non insignibus, canonicatus, præbendas, aut portiones, liceat vigore cujuscumque statuti aut consuetudinis ultra tres menses quolibet anno ab eisdem Ecclesiis abesse, etiamsi per substitutos inservirent; salvis tamen earum Ecclesiarum consuetudinibus, quæ longius servitii tempus requirant.—Excipitur casus absentiae pro cura animarum, ut sess. 22. cap. 3. §. *Quod si*. Et sic excusabitur Archipresbyter pro eo tempore, quo curam exercet, cui generaliter hujusmodi cura incumbit, cujus consuetudinis non residendi abrogationem probat Fagn. hoc. eod. cap., etiam locum habere ex Decret. Cong. Conc. respectu canonicorum et curatorum, quamvis nullos redditus habeant.

2. Ex Decret. Cong. Conc. relat. à cit. Fagnan. *hoc eodem cap. num.* 34. approbato à Gregor. XIII., excipiuntur etiam canonici Collegiarum non insignium, si consuetudo non residendi sit immemorabilis.

3. Decretalis Honorii III. relata in cap. *Ex parte* 12. statuentis juxta communem intellectum posse canonicos auctoritate Episcopi præbendas supprimere, easque ad minorem numerum reducere, si Ecclesiae redditus diminuti sint, moderata est sess. 24. c. 15 de ref. permittente, ut in Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis insignibus tantum (de qua restrictione non cavetur in hac Decretali), ubi frequentes, adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut non satis sint pro sustinendo decenti canonicorum gradu, juxta loci et personarum qualitatem, possit Episcopus cum consensu Capituli aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, his unire; vel si hoc modo provideri nequeat, aliquas ex hisdem præbendis supprimere, suppressarumque fructus reliquarum distributionibus applicare.

Nota hic, ex decretis Cong. Conc. relat. à Fagn. in cap. *Exposuisti* 33 de *Præb.* vigore cit. cap. 15. *Trident.* non posse Episcopum etiam cum

consensu Capituli unire præbendis canonicalibus portiones ejusdem Ecclesiae; neque beneficia simplicia fabricae, vel sacristiae Ecclesiae cathedralis, vel mensae capitulari ob earum respective reddituum tenuitatem, prout etiam statuitur in Clementin. *Si una* 2. de reb. Eccles. non alien.

TIT. III.—DE RESCRIPTIS.

4. Decretalis Alex. III. relata in cap. *Eam te* 7 admittentis expectativas et mandata Apostolica de providendo beneficio, abrogata est sess. 24. cap. 19 de reform. prohibente, ut dictae expectativæ, et quaecumque eas redolentia nemini amplius, etiam collegiis, universitatibus, senatibus, et aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore, concedantur, nec haecenus concessis cuique uti liceat: sicuti nec reservationes mentales, nec aliae, quaecumque gratiae ad vacatura, nec indulta ad alienas Ecclesias, vel monasteria alicui, etiam S. R. E. Cardinalibus: et haecenus concessa abrogata esse censeantur. Prohibente insuper sess. 25. cap. 7. omnes regressus, accessus, et ingressus per cessum, et decessum; quos etiam prohibuit S. Pius V. Constit. *Romani*.

Circa coadjutorias in beneficiis distinctis ab Episcopatu, et præposituris regularibus, cit. cap. 7 prohibitas, vide Fagnan. lib. 3. tit. de concess. præb. cap. *Nullam* 2. n. 69 et seqq., ac Joan. Solier. in notis ad Instit. Canon. Lancellot. tit. 16. de *Coadjut.* §. 1. et l. 13. Bened. XIV. de Synod. diac. c. 10. n. 26 et seqq.

5. Decretalis Honorii III. relata in cap. *Dilectus* 29 permittentis pluralitatem beneficiorum, abrogata est sess. 24. cap. 17 de refor. præcipiente, ut unum tantum conferatur, etiam si agatur de Cardinalibus S. R. E.; permittente tamen, si unum non sit sufficiens ad vitae sustentationem, conferri posse aliud simplex, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat.

6. Decretalis ejusdem relata in cap. *Capitulum* 30 admittentis expectativas et mandata de providendo beneficia, abrogata est ut supra n. 4 una cum sequentibus usque ad n. 13 idem admittentibus:

7. Decretal. Greg. IX relata in cap. *In nostra* 32.

8. Decretal. ejusd. relata in c. *Mandatum* 38.

9. Decretal. ejusd. relata in c. *Litteris* 39.

10. Decretal. ejusd. relata in c. *Abbatem* 40.

IN SEXTO.

11. Decretal. Bonif. VIII. relata in cap. *Tibi* 12 et cap. *Si pro te* 13.

12. Decretal. ejusd. relata in c. *Duobus* 14.

Item abrogatum est c. *Litteras* 5. in Clementin. eod. tit. idem admittens.

TIT. IV.—DE CONSUEtud.—IN SEXTO.

13. Decretal. ejusd. relata in c. *Cum in tua* 4.

TIT. VI.—DE ELECTIONE.

44. Decretalis Alex. III relata in cap. *Cum in cunctis* 7 statuentis §. *Inferiora* ad dignitates etiam non curatas requiri annum 13 inchoatum, moderata est sess. 24 cap. 12 de reform. §. *Ad ceteras*, decernente sufficere annum 22 completum quoad dignitates et personatus Cathedralium, quibus cura animarum nulla subest, Archidiaconatu excepto, qui exposcit 25 ætatis annum.

45. Decretali Innoc. III. relatæ in cap. *Quia propter* 42. præscribens electionem fieri debere, vel per scrutinium, vel per compromissum, vel per inspirationem, derogatum est, quoad electionem Regularium utriusque sexus sess. 25. cap. 6. de Regul., præcipiente fieri per secreta suffragia, sub pœna nullitatis.

46. Decretalis Gregor. IX relata cap. *Dudum* 54 statuentis §. *Cum nullus* posse retineri duo beneficia curata, unum scilicet in titulum, alterum in commendam, abrogata est sess. 7. cap. 4 de reform., prohibente retentionem duorum curatorum beneficiorum, vel alias incompatibilium, sive per viam unionis ad vitam, sive commendæ perpetuæ contra dispositionem cap. *De multa* de Præben. Prohibente insuper eadem sess. cap. 2. retentionem cum iisdem titulis plurium Metropolitanarum, seu Ecclesiarum cathedralium.

Eadem decretalis tribuens §. *Sed cum* facultatem Archidiacono visitandi Ecclesias sibi subjectas, moderata est ut infra n. 33.

IN SEXTO.

47. Decretalis Bonif. VIII. relata in cap. *Indemnitatibus* 43 statuentis:—1.º Monialem non posse eligere abbatissam, nisi peregerit 12 ætatis annum, ac nisi tacite vel expressè fuerit professa:—2.º non posse eligi in abbatissam nisi quæ 30 annum compleverit; quoad primum, abrogata est sess. 25. cap. 15 de Regul. nullam declarante professionem factam ante 16 annum completum. Quoad secundum ampliata est ead. sess. 25. cap. 7 præcipiente, quòd si eligi nequeat ex eodem, vel altero monasterio ejusdem Ordinis non minor 40 annis, eligatur ex eodem monasterio quæ præter 30 annum completum, quinque saltè annis post professionem rectè vixerit.

Eidem Decretali admittenti professionem tacitam, derogatum est in sensu, ut infra n. 97.

IN EXTRAVAG. JOAN. XXII.

48. Decretalis Joann. XXII relata in cap. *Suscepti* 2 statuentis, ut certa ratione fructus beneficii vacantis dividantur inter successorem, et habentem jus annatæ sub pœna in aliter percipientem, si intra mensem integrè non restituat, suspensionis seu interdicti quoad Episcopos, vel his majores, à pontificalibus et ab ingressu Ecclesiæ; interdicti quoad Capitula vel Collegia; et excommunicationis reservatæ quoad singulares personas, donec restituant, abrogata est sess. 24. cap. 14 de reform. inhibentes sub pœnis in simoniacos latis deductiones ex fructibus, promissiones, compositiones, aut alias conditiones, seu turnorum lucra pro provisione, electione, confirmatione, collatione, institutione, aut admis-

sione in possessionem cathedralis, sive canonicatus, sive beneficii, sive præbendæ, sive distributionum, quacumque etiam immemorabili contraria consuetudine non obstante: exceptis erogationibus applicari consuetis in usus pios, laudabili tamen consuetudine, seu constitutione ab Episcopo approbatis. Quod tamen hodie sine Papæ auctoritate fieri nequit.

TIT. VIII.—DE AUCTORIT. ET USU PALLII.

49. Decretali Honorii III relatæ in cap. *Quia nos* 7 decernentis posse Archiepiscopum sine pallio, et sandaliis celebrare in aliena diœcesi (intellige publicè), derogatum est sess. 6. cap. 5 de reform. prohibente id fieri sine Ordinarii loci expressa licentia; etiam juxta Glos. prim. hic. Licet tamen Episcopis exercere pontificalia in locis exemptis sitis intra suam diœcesim, et procedere in actu visitationis per censuras, aliasque pœnas Ecclesiasticas contra exemptos, ex decret. Cong. Episc. et Regul. confirmato à Clem VIII. 40 Jun. 1603 in hoc eod. c. relat. à Fagnan.

TIT. IX.—DE RENUNCIATIONE.

20. Decretalis Alex. III relata in c. *Ex transmissa* 3 decernentis per assumptionem habitus regularis factam à beneficiato induci tacitam renunciationem beneficii, abrogata est sess. 25. c. 16 de Regul., declarante nullam renunciationem valere factam intra annum probationis, nisi fiat cum licentia Ordinarii intra duos menses proximos ante professionem, effectum habitura eadem professione sequuta. Idem statuit Sanctus Pius V. constit. *Quanta* 1568, prohibuitque Episcopis beneficia sic resignata conferre ante sequutam professionem.

IN SEXTO.

21. Decretalis Bonif. VIII relata in cap. *Si te* 2, admittentis expectativas ad vacatura beneficia, abrogata est, ut supra n. 4.

TIT. XI.—DE TEMPORIB. ORDINATION.

22. Decretalis Alex. III relata in cap. *De eo* 3, permittentis omnes quatuor minores Ordines absolutè conferri posse eodem die, moderata est sess. 23. cap. 11, 13 et 14 de reform. statuente, ut conferantur per temporum interstitia, nisi Episcopus omnes simul conferendos expedire judicaverit ex causa, quæ à Conc. restringitur ad necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ.

23. Decretali ejusdem relatæ in cap. *Ex tenore* 4, statuentis criminorum occultum, peracta pœnitentia in totum, vel in partem, etiamsi crimen esset degradatione dignum, si alias esset publicum, posse in susceptis Ordinibus ministrare, et non prohiberi, ne promoveatur, derogatum est sess. 14. cap. 1 de reform., tribuente facultatem Episcopo interdicendi subdito ex quacumque causa, etiam occulta, et extrajudicialiter, ne ascendat ad sacros Ordines. Quoad ministrationem verò in susceptis etiam derogatum est ex sententia Cong. Conc., teste Fagnan. in hoc eodem cap. n. 16 et 17 ob cap. 3 ejusdem sess. 14, quo Episcopo tribuitur facultas suspendendi ab exequutione Ordinum quoscumque clericos, præsertim in

sacris constitutos, quos minus idoneos repererit; eo pari modo, quo superiores regulares prohibere possunt suis subditis jam promotis, ne ad altiores Ordines ascendant in vim cap. *Ad aures* 5 hoc eod. tit. quod dicta Cong. Conc. censuit extensum esse ad Clericos sæculares.

24. Decretali Greg. IX relatæ in cap. *Quæsitum* 17, eadem statuentis, excepto crimine homicidii voluntarii etiam occulti, derogatum est ut supra, quoad utramque partem.

IN SEXTO.

25. Decretalis Bonif. VIII relatæ in cap. *Cum nullus* 3, tribuentis § *Episcopo autem* potestatem Capitulo, sede vacante, concedendi dimissorias promovendis ad Ordines, moderata est *sess. 7. cap. 10 de refor.* quoad hanc potestatem indiscriminatim, statuente, ne eas concedat intra annum à sedis vacatione numerandum, nisi aretato ad aliquem Ordinem recipiendum occasione recepti, vel recipiendi beneficii, sub pœna interdicti respectu Capituli, et respectu promoti ad minores Ordines privationis privilegii Ecclesiastici, præsertim in criminalibus; respectu verò promoti ad majores, suspensionis ipso jure ab executione Ordinum, duraturæ arbitrio futuri Episcopi. Potest tamen easdem dimissorias concedere cuiumque dicto anno elapso, nondum sede repleta. Quæ pœna *sess. 23. c. 10 de refor.* extenditur etiam ad illos, qui easdem dimissorias non à Capitulo, sed ab aliis quibusvis succedentibus in jurisdictione Episcopi loco Capituli, sede vacante obtinerent; non extenditur autem pœna interdicti Capitulo imposita.

TIT. XIV.—DE ÆTATE ET QUALITATE PRÆFICIENDORUM.

26. Decretalis Alex. III relatæ in cap. *Indecorum* 3, præscribens personatum cujuslibet Ecclesiæ conferri posse cuiumque excedenti annum decimum quartum, abrogata est *sess. 24. cap. 12 de refor.* prohibente ne ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, aliquis promoveatur, nisi saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit. Ad ceteras verò dignitates cathedralium, (Archidiaconatu excepto, qui exposcit ætatem 25 annorum), vel personatus, quibus nulla animarum cura incumbit, nemo adscisci possit, qui minor sit annis viginti duobus, quos completos esse debere declaravit Cong. Concil., ut refert Fagnan. in cap. *Cum in cunctis* n. 37.

27. Decretalis Innoc. III relatæ in cap. *Accepimus* 13, admittentis §. *Mandamus* mandata de providendo beneficio, abrogata est, ut supra n. 4.

IN SEXTO.

28. Decretali Bonif. VIII relatæ in cap. unic. *Permittimus*, tribuentis Episcopo facultatem dispensandi cum minore viginti duobus annis, pro obtinendis dignitatibus et personatibus, abrogata est, ut supra 26.

IN CLEMENTINIS.

29. Decretalis Clem. V. relatæ in cap. *Generalem* 3, statuentis promovi posse ad subdiaconatum constitutum in anno decimo octavo, et ad diaconatum in vigesimo, abrogata *sess. 24. cap. 12 de refor.*; præscribente

annum vigesimum secundum pro subdiaconatu, et vigesimum tertium pro diaconatu.

TIT. XVII.—DE FILIIS PRESBYTERORUM ORDINANDIS, VEL NON.

30. Decretali Alex. III. relatæ in cap. *Veniens* 5, statuentis non amovendum ab Ecclesia paterna filium presbyteri ab Episcopo illi scienter collata, si agatur de filio nato post sacerdotium, et sic illegitimo, juxta quem intellectum accipiendam esse hanc decretalem declaravit Congreg. Concil. 22. Martii 1576 teste Fagnan. hoc eod. cap. num. 49 et seqq., derogatum est *sess. 25. cap. 15 de reform.* id filiis illegitimis prohibente.

31. Decretalis ejusdem relatæ in cap. *Ad extirpandas* 11, statuentis è contrario sensu, filium tam legitimum, quam illegitimum posse retinere beneficium in Ecclesia, in qua pater ministravit, si media intercesserit persona, abrogata est *cit. sess. 25. cap. 15*, et clarius, imò expressè à Clem. VII. Constit. *Ad Canonum Conditorem* tertio Non. Jun. 1533, extendente hanc prohibitionem ad quorumcumque Clericorum etiam regularium filios illegitimos, et ad beneficium simile, sive dissimile; ac etiam ad pensiones beneficiorum, quæ pater obtinet, vel obtinuit ad tempus, sive in perpetuum; et demùm ad quamcumque administrationem in eadem Ecclesia.

32. Decretali Clem. III. relatæ in cap. *Ad hæc*, permittentis filium legitimum Episcopi obtinere posse beneficium in Ecclesia, in qua pater præst, vel præfuit, non facta restrictione, an idem vel diversum obtinere possit, nulla media intercedente persona, derogatum est *sess. 25. cap. 7* id prohibente, si immediatè succedat in eodem, ad tollendam imaginem hæreditariæ successionis.

TIT. XXIII.—DE OFICIO ARCHIDIACONI.

33. Decretali relatæ in cap. *Ut Archidiaconus* 1, tribuenti Archidiacono facultatem visitandi diœcesim quolibet triennio, impedito Episcopo, derogatum est nedùm à contraria consuetudine, sed etiam *sess. 24. cap. 3 de refor.* præscribente, visitationem singulis annis faciendam esse per Episcopum, aut eo impedito, per suum generalem Vicarium, vel Visitatorem, intra annum, vel saltè, si diœcesis ampla sit, intra biennium complendam. Præservatur tamen in *cit. cap.* facultas Archidiacono visitandi per se ipsum tantùm eas Ecclesias, quas legitime consueverit visitare; sed cum notario assumpto de consensu Episcopi, et cum onere exhibendi eidem Episcopo intra mensem integra visitationis acta, non obstantibus exemptionibus, privilegiis, et contraria consuetudine etiam immemorabili.

34. Decretalis Alex. III. relatæ in cap. *Mandamus* 6, tribuentis Archidiacono absolutam facultatem visitandi Ecclesias suo archidiaconatui subiectas, moderata est cum limitatione, ut supra.

35. Decretali Innoc. III. relatæ in cap. *Ad hæc* 7, tribuentis Archidiacono:—1.º Facultatem cognoscendi causas Ecclesiasticas:—2.º Examinandi promovendos ad sacros Ordines, et beneficia; quod spectat ad cognitionem causarum, derogatum est *sess. 24. cap. 20 de refor.* quoad

causas matrimoniales et criminales, statuente Episcopi tantum examini et jurisdictioni has esse relinquendas, licet Archidiaconus de iis cognoscere vellet in actu visitationis suarum Ecclesiarum, de quibus supra. Ex quo Concilii textu, etiam causae beneficiales, et aliae altioris indaginis videntur esse supra illius jurisdictionem. Quod verò spectat ad examen promovendorum ad sacros Ordines, videtur hoc relictum arbitrio Episcopi *sess. 23. cap. 7 de refor.* statuente, ut illud peragat coram adscitis sibi prudentibus et doctis viris, nulla facta mentione de Archidiacono; qui die ex mero ritu et caeremonia interrogatur tantum ab Episcopo inter missarum solemnias ante ordinationem; an sciat ordinandum esse dignum, juxta decretalem Innoc. III. *cap. unic. de Scrutin. in Ord. facien.* Respectu promovendorum ad beneficia curata, derogatum est *sess. 24. cap. 18 de refor.* praecipiente, examinandos esse ab examinatore electis in synodo, nec Archidiaconus examinare potest simul cum his, si non sit ex deputatis in ead. synodo, ex decreto Cong. Concil. relato à Fagnan. in hoc eod. *cap. num. 25.*

36. Decretalis Honor. III. relata in *cap. Dilecto 10* tribuentis Archidiacono facultatem visitandi Ecclesias sibi subjectas, moderata est ut supra numer. 33.

TIT. XXIX.—DE OFFIC. ET POTEST. JUDICIS DELEGATI.

37. Decretali Alex. III. relata in *cap. Ex parte 12.*, admittentis expectativas super beneficiis, abrogata est ut supra n. 4.

38. Decretalis ejusdem relata in *cap. Quoniam 14.*, disponentis delegationem factam dignitati, non expresso nomine, transire ad successorem, abrogata est *sess. 25. cap. 10. de reform.* statuente; causas ecclesiasticas ad spirituales, et ad forum ecclesiasticum pertinentes delegandas in partibus committi debere praeter Ordinarios, iudicibus à synodo designatis.

IN SEXTO.

39. Decretali Alex. IV. relatae in *cap. Quia Pontificali 2.* potestatem tribuentis iudicibus, et Conservatoribus à Sede apostolica deputatis procedendi contra Episcopos, derogatum est *sess. 24. cap. 5. de ref.* quoad graviores causas criminales etiam haeresis, depositione, aut privatione dignas, praecipiente has à solo Romano Pontifice esse cognoscendas et terminandas.

TIT. XV.—DE OFFIC. LEGATI.

40. Decretalis Alex. III. relata in *cap. Cum non ignorantis 1.*, dantis potestatem appellandi ad Legatum Papae etiam per simplicem querelam, moderata est *sess. 24. cap. 20. de refor.* praecipiente, ne Legati, et Nuncii apostolici procedant in causis subditorum, nisi prius requisito Episcopo, ad quem statuit causas omnes spectare in prima instantia, sub poena nullitatis actorum, satisfactionisque damni partibus illati. Excipiuntur tamen causae possessionis beneficiorum reservatorum, seu à Pontifice concessorum.

IN SEXTO.

41. Decretalis Bonif. VIII. relata in *cap. Presenti 3.* admittentis reservationes ad vacatura beneficia, abrogata est ut supra n. 4.

TIT. XXXI.—DE OFFIC. JUDICIS ORDINARI.

42. Decretalis Alexand. III. relatae in *cap. Cum vos 4.* statuentis ad patronum ecclesiasticum pertinere custodiam Ecclesiae, quousque ejus ordinatio ex justa causa differatur, derogatum est *sess. 25. cap. 9. de refor.* praecipiente, ne patroni, sive laici, sive ecclesiastici se ingerant in perceptione fructuum, proventuum, et obventionum quorumcumque beneficiorum, licet verè essent de jure patronatus ipsorum ex fundatione et donatione; sed ut illos liberè dimittant rectori, seu beneficiato, non obstante quacumque contraria consuetudine Praecipiente insuper *sess. 24. cap. 18.* constituendum esse ab Episcopo, statim post notitiam vacationis ecclesiae parochialis, aëconomum seu vicarium, qui ejusdem Ecclesiae onera interim substineat, ejusque custodiam et administrationem habeat, sive haec sit liberae collationis, sive juris patronatus tam ecclesiastici, quam laicalis: sive etiam vacet per obitum et resignationem in Curia, seu aliter generaliter vel specialiter reservata, vel affecta sit etiam S. R. E. Cardinalibus, seu Abbatibus, vel Capitulis. Hoc idem praestandum est à Vicario capitulari, sede vacante. Item ab Episcopo viciniore, si sola collatio parochialis vacantis competat Abbatibus. Hac conciliari sanctione derogatum est etiam opinioni Glos. pen. in h. c. ver. *Aëconomus*, quam sequitur Joan. And. hic n. 16. sentientis, deputationem aëkonomi Ecclesiae parochialis non indistinctè pertinere ad Episcopum, sed ad eum, ad quem pertinet institutio. Quae quidem facultas tunc solum competit inferiori Praelato ex decreto Cong. Conc. relat. à Fagn. in *cap. Cum contingat 13. de for. compet. numer. 31. te 38.*, quando habet omnimodam jurisdictionem episcopalem, nec alicui subditur, et est immediatè subjectus Sedi apostolicae, et nullius diocesis, et habet populum ac territorium, et jus congregandi synodum, et legitime constet eam congregasse.

43. Decretalis Innoc. III. relata in *cap. Irrefragabili 13.*, concedentis §. *Excessus* facultatem Episcopo corrigendi excessus Canonorum in illis cathedralibus, ubi consueverunt corrigi per Capitulum, solum post praemissam monitionem, et elapsum terminum eidem Capitulo ab eo praefixum, et non antea, correctae est seu ampliata *sess. 6. cap. 4. de reform.*, tribuente hanc facultatem Episcopis intra visitationem, ut aut per se solos, aut adjunctis aliis sibi benevisis, dictos excessus corrigat, etiam non praemissa monitione, et non praefixo termino, nec data negligentia Capituli in corrigendo, non obstante quacumque contraria consuetudine aut exemptione. Extra visitationem verò *ex sess. 25. cap. 6.*, Episcopus, vel ipsius Vicarius procedere potest contra eosdem Canonicos usque ad finem causae inclusive, cum consilio tamen et assensu duorum capitularium initio cuiuslibet anni à Capitulo eligendorum, juxta formam ibi praescriptam: sed si agatur de criminibus incontinentiae, aliisque depositionem, vel degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, potest solus Episcopus *ex cit. cap. 6.* ad summariam informationem et necessariam detentionem pro-

cedere, servata in reliquis forma præscripta. Huic tamen decreto de capitularibus adjunctis non esse locum, nisi cum agitur de Capitulo ab Episcopi jurisdictione exempto, semper censuit Cong. Conc. ut colligitur ex variis ejusdem responsionibus ad postulata Episcoporum relatis à Bened. XIV, de synodo diœcesana *lib. 13. cap. 9. n. 7, et seqq.* Et nota, quod Episcopus potest intrâ visitationem per se solum corrigere excessus Canonorum in vim cit. cap. 4., nullis capitularibus sibi adjunctis, ut etiam declaravit Greg. XIII, approbando sententiam Cong. Conc. circa hanc quæstionem, teste Fagnan. in cap. *Ut justa* hoc eod. tit. n. 39. Nota etiam pro conciliatione cit. cap. 4. sess. 6. cum cap. 5. sess. 24. quod Episcopus volens visitare seorsim capitulum exemptum in vim d. cap. 4., id exequi debeat per se ipsum; visitare verò volens totam diœcesim, aut partem ejus, in vim cit. cap. 3. sess. 24. possit, si legitimè impeditus fuerit hanc visitationem explere per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, ut pendit Cong. Conc. in causa *Hispalen.* 12. Martii 1503. *lib. 7. Decret. pag. 94. relat. in cit. lib. 13. de Synod. c. 9. n. 6.*

44. Decretali Greg. IX. relatæ in cap. *Grave gerimus* 49. declarantis nullam competere Episcopo jurisdictionem in exemptos, derogatum est *seqq. sess et capp.*, eidem tribuentibus etiam tamquam delegato Sedis apostolicæ jurisdictionem in exemptos, tam quoad Ecclesias, quam quoad personas, sive sæculares sive regulares, etiam nullius diœcesis in quampluribus casibus; ut sess. 4. cap. 9. sess. 6. cap. 3. et 4. sess. 7. cap. 5. et 8. et 14. sess. 21. cap. 3. sess. 23. cap. 10. sess. 25. cap. 6 de ref. et c. 8. et 11. de Regul. Quos casus vide in Auctore, et Additionibus *meis* l. 3. tit. 31. de Regul. §. 3. n. 313., et in Fagn. hoc eod. cap. per totum, ubi enumerat quadraginta septem, in quibus exempti subsunt visitationi et jurisdictioni Episcopi.

45. Decretali ejusdem relatæ in cap. *His quibus* 20 statuentis eos, quibus competit facultas absolvendi ab excommunicatione, posse hanc alteri demandare, derogatum est *sess. 24. c. 6. de reform.* quoad excommunicationem incursum propter hæresim, etiam occultam, præcipiente hanc absolutionem dari posse in foro conscientiae ab Episcopo per se ipsum tantum.

TIT. XXXIII.—DE MAJORIT. ET OBED.

46. Decretali ejusdem relatæ in cap. *Cum olim* 14., statuentis capitulum cathedralis, sede vacante posse per se ipsum jurisdictionem ad se devolutam exercere, derogatum est *sess. 24. cap. 16. de reform.*, præcipiente ut intra octiduum à morte Episcopi et Metropolitanum eligatur Vicarius; alioquin hujusmodi electio devolvatur ad Metropolitanum, et si Ecclesia fuerit Metropolitana, devolvatur ad antiquiorem Suffraganeum: si verò fuerit exempta, ad propinquiorem Episcopum. Ex Decretis Cong. Conc. relatis à Fagn. in cap. *His, quæ* 11. hoc eod. tit. n. 68. et *seqq.*, eligi debet unus Vicarius, et non plures (nisi quoad electionem plurium vigeret immemorabilis consuetudo), non ad tempus duraturus, sed pro toto tempore vacationis, cum jurisdictione non cumulativa, sed privativa; nec removendus, nisi causa cognita ab eadem Cong. et in casu absen-

tiae ipse, non Capitulum alium loco sui deputare potest.—Vide in auctore *lib. 1. tit. 28. n. 204.*

TIT. XXXVIII.—DE PROCURATORIBUS.

47. Decretali Clem. III. relatæ in cap. *Ex insinuatione* 3., permittentis pluralitatem beneficiorum, derogatum est, ut supra n. 16.

LIBER SECUNDUS.

TIT. I.—DE JUDICIIS.

48. Decretali Honorii III. relatæ in cap. *Venerabilis* 20, statuentis instantiam judicii non perire per lapsum triennii, derogatum fuit *sess. 24. c. 20. de ref.*, præcipiente causas omnes tam civiles, quam criminales ad forum ecclesiasticum pertinentes terminandas esse infra biennium ad instar juris civilis, quod in causis criminalibus præfixit biennium, licet in civilibus triennium indulserit *L. Properandum* in princip. C. de Judic.

TIT. IX.—DE FERIIS.

49. Decretalis Clem. III. relatæ in cap. *Capellanus* 4, prohibentis nuptiarum solemnitates à prima dominica Adventus usque ad Epiphaniam, à septuagesima usque ad octavam Paschatis, et à diebus Rogationum usque ad octavam Pentecostes, moderata est *sess. 24. cap. 10. de reform. matrim.*, restringente hujusmodi prohibitionem ab Adventu Domini usque ad totum diem Epiphaniæ, et à feria quarta cinerum usque ad octavam Paschæ inclusivè.

TIT. XIX.—DE PROBATIONIBUS.

50. Decretalis Innoc. III. relatæ in cap. *In presentia* 8, statuentis obligationem et donationem bonorum maximè juramento firmatam fieri posse, et vim habere post susceptionem habitus regularis, abrogata est *sess. 25. cap. 16. de Regul.*, prohibente sub pœna anathematis (si agant de dispositione inter vivos, et non in ultima voluntate), ne aliquid ex bonis novitii infra annum probationis monasterio tribuatur, excepto victu et vestitu: irritante etiam quamcumque obligationem licet juratam, præter eam, quæ facta est cum licentia Ordinarii, et intra duos menses proximos ante professionem.

TIT. XXVI.—DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

51. Decretali ejusdem relatæ in c. *Auditis* 15. declarantis Prælatum inferiorem in certis Ecclesiis diœcesanis posse præscribere totum jus episcopale, quoad ordinationem et absolutionem à casibus Episcopo reservatis, abrogata est, ut infra n. 169.

Quod cognitionem verò causarum matrimonialium, de qua expressè in textu, abrogata est *sess. 24. c. 20.*, committente hujusmodi cognitionem Episcopi tantum examini et jurisdictioni. Circa hanc cognitionem vide Additiones meas *lib. IV. tit. 49. post n. 120.*

52. Decretalis ejusdem relata in c. *Cum olim* 18, declarantis Abbatem in Ecclesiis intra diocesim præscribere posse jura Episcopalia, et inter cætera hic enumerata:—1.º Ordinationem Clericorum, abrogata est *sess. 23. c. 10. de ref.* in sensu et terminis, ut infra nu. 169.—2.º Pœnitentiam, id est, jus absolvendi à casibus Episcopo reservatis, abrogata est *Sess. 14. de Sacr. pœnit. c. 7. de Casib. reserv.*, si agatur de Abbâtibus, et inferioribus Prælatibus qui non sunt in statu nullius diœc.

53. Decretali ejusdem relatæ in cap. *Veniens* 19, statuentis præscribi posse à Prælato inferiori jus dimittendi suos subditos ad quem maluerint catholicum Antistitem, derogatum est ut infra n. 169.

TIT. XXVII.—DE SENTENTIA ET RE JUDICATA.

54. Decretalis ejusdem relatæ in cap. *Cum inter* 13, decernentis inter alia, Abbatem in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis posse initiare prima Tonsura nedùm monachos sibi subditos, sed etiam sæculares, in quos habet ordinariam et quasi Episcopalem jurisdictionem, derogatum est *sess. 23. cap. 10. in sensu et terminis, ut infra n. 169.*

TIT. XXVIII.—DE APPELLATIONIBUS

55. Decretalis Alex. III. relata in cap. *De appellationibus* 11, permittentis appellationem à qualibet interlocutoria sententia, et quovis gravamine, moderata est *sess. 13. cap. 1. et sess. 24. cap. 10. et 20. de refor.*, prohibente conformiter ad jus civile appellationem ab interlocutoria, nisi habeat vim definitivæ, vel ejus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat.

56. Decretalis ejusdem relata in cap. *Super eo* 12, idem permittentis, moderata est ut supra.

57. Decretalis ejusdem relata in cap. *Pervenit* 28, statuentis, ut infra n. 60, moderata est ut ibi.

58. Decretalis Innoc. III. relatæ in cap. *Constitutus* 43, denegantis appellationem ab irrationabili judicio examinatorum synodali in concursu ad parochiales, derogatum est *sess. 24. c. 18. de ref.* hanc admittente modo ibi præscripto.

IN SEXTO.

59. Decretalis Innoc. IV. relata in cap. *Cordi* 1, permittentis appellationem, ut supra n. 53, moderata est ut ibi.

ELENCHUS III

Decretalium ampliatarum a S. Concilio Tridentino.

LIBER PRIMUS.

TIT. III.—DE RESCRIPTIS.—IN SEXTO.

1. Decretalis Bonif. VIII. relata in cap. *Statutum* 11, præcipientis §. 1. causas committendas à sancta Sede vel ejus legato, committi debere obtinentibus dignitatem, vel Canonicatum, in Ecclesia cathedrali, ampliata est *sess. 25. c. 10. de reform.* mandante, ulterius hos designandos esse à synodo provinciali vel diœcesana, numero saltèm quatuor, ex quibus uno mortuo, aut alias deficiente, alius subrogetur vel in proxima synodo, vel ab Episcopo cum consilio capituli; ita ut delegationes quæcumque aliis factæ subreptitiæ censeantur.

IN CLEMENTINIS.

2. Decretalis Clem. V. relata in cap. *Et si* 2, statuentis causarum commissiones, de quibus supra, committi posse Vicario generali Episcopi, vel etiam regulari habeat conventualem prioratum, ampliata est, ut supra.

TIT. IV.—DE CONSUETUDINE.

3. Decretalis Innoc. III. relata in c. *Quanto* 4, statuentis consuetudinem non posse operari, ut Clericus non Episcopus possit exercere quæ sunt ordini Episcopali reservata, ampliata est *sess. 7. can. 3. de confirmat.*, infligente ulterius excommunicationem latæ sententiæ in contrarium asserentes.

TIT. XI.—DE TEMPOR. ORDINAT.—IN SEXTO.

4. Decretalis Greg. X. relata in cap. *Eos, qui* 2, infligentis pœnam suspensionis per annum à collatione Ordinum in præsumptem scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio quæsito figmento ordinare Clericos alienæ diœcesis sine dimissorialibus, aut licentia suorum Ordinariorum, et statuentis sic ordinatos ligare pœnis à jure statutis, ampliata est *sess. 6. c. 5. et sess. 23. c. 8. de reform.*, declarante ordinantem dictam pœnam ipso facto incurrere, etiam citra præsumptionem; et sic ordinatos, tam in minoribus quàm in sacris, ipso facto incurrere suspensionem ab executione Ordinum susceptorum, arbitrio proprii Ordinarii duraturam.